Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2619

Quelle:
Copyright:

tur vniuerſitati noſtre viennen. ex bijs que in facto veriſimiliora hucusque audivit et in Iure noſcere potuit, Concilium Baſilien. nondum eſſe diſſolutum &c. In eandem cum praecedente ſententiam, non tamen expreſſo Autoris nomine, qui concludit: *Ideo omnino videtur, quod difficultates eccleſie tolli non poſſint ad preſens niſi in ſacro Baſilien. Concilio, cum nec ipſum transferri poſſit eo nolente, nec aliud queat inſtitui eo exiſtente.* Utrumque Scriptum *Mitterndorfero* defuiſſe videtur.

XVII. *fol.* 154. Tractatus de Emtione, Venditione et uſuris initio truncatus et ab his verbis incipiens: *vſus ex hoc ipſo conceditur res et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium* &c. Ultima ſunt: *Item fraus et dolus nulli patrocinari debent.* Caſuum reſolutione pro foro Conſcientiae potiſſimum conſtat.

XVIII. *fol.* 160. p. 2. *De modo predicandi et Colligendi.* Initium: *Volens colligere ſermones collaciones aut tractatus poteſt obſeruare ſubſcriptos ſpeciales octo modos. Primus eſt dictus diffinicio* &c. Adjumentum iſtud ſatis tenue ad calcem deſcriptum dicitur: *Colonie ex libraria minorum.*

DCLXXXIV.

482 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 365. 4. currenti varioque calamo conſcriptus Sequentia complectitur: I. Tractatum brevem de Conſanguinitate, Affinitate et cognatione Spirituali, hoc initio: *Videndum eſt de Conſanguineitate de qua libro 4° decretalium capitulo 14. et primo quid linea dein quid gradus* &c. Autor tacetur.

II. *fol.* 9. *Vtrum omnis veritas ſit paris auctoritatis cum qualibet.* Reſponſum: *Videtur quod ſic. nam omnis veritas, in quantum huiusmodi, eſt verum dictum* &c. Ad *Joh. Wicleffum* pertinere hoc Excerptum docet ἐπιγραφη: *W. de veritate* c. 14. ſed non continetur in Tractatu ejus Theologico *de Veritate S. Scripturae*, neque in *Speculo milit. Eccleſiae*, in quo *Veritas* et *Mendacium* colloquuntur; itaque ad Tract. logicum *de Veritate et Mendacio*, quem *Baleus* et *Tannerus* citant, referri debebit.

III. *fol.* 11. Loci Theologici in Alphabetum digeſti, quorum primus *Abſolutio*, hoc initio: *Dominus noſter ihesus christus dixit beato petro* &c. Ultimus *zelus. zelum bonum inflammet caritas* &c. Omnia ad Scholam *Wicleffi* adcommoda, cujus Opera ſaepius citantur.

IV. *fol.* 63. Alii Loci Theologici, inprimis Pontificum Rom. Ἀντιθεσις cum Deo, Praeceptis divinis, et Chriſto, dein multa de Eccleſia et Sacramentis. Omnia ita in chartam conjecta, ut inde aut Sermonibus ad Populum, aut Diſputationibus ſcholaſticis, aut conſcribendis etiam Libris ſervire potuerint. Penus fortaſſe ipſius *Huſſi*, aut *Hieronymi Prag.* aut *Petri Anglici*, aut *Jacobelli*, ſi manus adgnoſci quiret.

V.